Cracoviensis Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1648 mense Aprili

Kostrzewowski Sim. Hyacinth.: Novem laureata sidera, recens in coelo academico exorta.

NOVEM
LAVREATA
SIDERA,
Recèns in Cælo Academico exorta.
SEV
Carmen Gratulatorium,
Quod
VV. IX. Adoleſcentibus Artium Liberalium & Philoſophiæ Candidatis,
Dum ab Excellentiſſimo & Doctiſſimo Domino
M. FLORIANO LEPIECKI
Philoſophiæ Doct: & Profeſſore, Collega Minore,
In Perauguſto conſpectu Areopagi Academici, primâ in Artibus & Philoſophia Laureâ
ORNARENTVR.
Cecinit
SIMON HYACINTHVS KOSTRZEWOWSKI, eiuſdem Laureæ Candidatus.
Anno Domini, 1648. Menſe Aprili. Die

175.

IN STEMMA
Perantiquæ Domus
OLESNICIANÆ.



DElicium mundi, Superûm decus, arca ſalutis
Crux hæc purpureo ſanguine tincta Dei.
Stemmate OLESNICIO rubuit; nam ſanguine fuſo
Repreſſit Domus hæc caſtra inimica Crucis.
Quis neget ergo polo ſtirpem fluxiſſe beatam?
Cui proprium ſuperi Stemma dedêre chori.

Illustri, Generoso, & Magnæ spei Iuueni,

D. STANISLAO de OLESNICA OLESNICKI,

SVCCAMERARII SENDOMIRIENSIS, &c. &c.

FILIO,

Magni Zbignei de Olesnicá olim S. R. E. Cardinalis & Episcopi Cracouiensis dignissimo Atnepoti.

NOn debes mirari Illustris & Generose Domine, quòd paucu- la hæc in orbe Academico recèns exorta sidera meo tenui depicta calamo, Tuam potissimùm lucem feliciter in Academicum Horizontem illatam colant & venerentur. Non potuerant enim non meminisse, vt primùm Te Domui Olesnicianæ pignus carissimum conspexerunt, vmbras Academicæ Scholæ non modicum splendoris olim ab Atauo Tuo ZBIGNEO Cardinale recepisse: cùm & erectionem illius apud D. Iagelonem vehementissimè promoueret, illam quoties opus esset tueretur, & quò nomen nouelli studij propagaret sententiam Academicorum de Hæreticis Boëmis vrbe eijciendis Præsulea authoritate, spreto Regiæ offensionis periculo, approbasset. Quòd si vniuersa hæc memoratu dignissima sunt, meritò quidquid ab Atauo Academiæ præstitum est, totum hoc in Atnepote Ignes isti orbis Academici suspiciunt, & qua possunt rependunt gratitudine. Cogitabis igitur cùm Tuum splendorem cominùs accedere præsumunt, illos non tam honorarios quàm debitores Tuis Maioribus obligatissimos aduenire: non quòd sperent luci Domus Olesnicianæ à luminaribus vmbræ Academicæ aliquid addi posse; sed quòd illis turpissimum sit quantùm ab OLESNICIIS acceperit Academia

non profiteri. Quanquam & Illustrissimorum Parentum Tuorum grauissima omnino in Academiam hanc extitit propensio & beneuolentia: quam tunc testati sunt cumulatissimè, cùm Te Illustris & Generose Domine tenerrimè dilectum à sinu & complexu suo abstrahi passi sunt, educationiq; Academicæ commiserunt: vt quemadmodum paruus Telemachus dolorem matris Penelopes ob absentiam Vlyssis solabatur: ita Mater ista virtutum & studiorum Academia Prudentissimo Reip. Polonæ Vlysse (quidni enim ita Atauum Tuum, ob summam in bono publico promouendo felicitatem appellem) fato communi mortalitatis sublato, Te suum haberet Telemachum, Magni Ataui prudentiæ, pietatis, amoris in Remp. magnanimitatis, fortis animi, aliorumq; mentis bonorum hæredem. Quem quidem quoties illa intuetur, toties ex his & pulcherrimis tui corporis lineamentis, & oculorum gratissimi aspectus genio, & morum in tantilla ætate adulta maturitate, & studiorum honestissimorum amore, magnum quiddam de Te Patriæ, Ecclesiæ, Inclytæ Prosapiæ, sibi quoque ipsi certò non vana Vates (ò Numen supremum faxit) auguratur. Accipe igitur ex recessu Academico à Tuis ornato Maioribus, sidera orientia, & si eclipsis aliqua paucis istis inest versiculis, Tu de Tuo hoc est Olesnicianæ Domus in Academiam affectu, quasi ex quodam lucis fonte adde, & tenebras nostras dispelle: atq; Reip. Ecclesiæ, Inclytæ Domui Tuæ, Academiæ, Ciuis, Propugnator, Ornamentum, Defensor & memor filius quantocyùs adolesce.

Illustri & Generosæ D. Tuæ

Deuotus & obsequi
paratissimus

Simon Hyacinthus Kostrzewowski,
Primæ Laureæ Candidatus.

SOLI SIDERVM PRINCIPI,

Almæ Matri Academiæ,

Melos Votiuum.

DIlecta magnæ filia Palladis,
Quam delicato in pectore Apollinis
Fouêre ludentem Camœnæ, &
Purpureos ſtupuêre vultus.
Cæleſte pignus, flos ſapientiæ,
Propago Diuûm, delicium poli,
O lumen Arctoum, fauenſque
Sarmaticæ Cynoſura genti.
Quin ipſe fallor; Sol Iagelonico es
Splendens Olympo, Sol Academia,
Cui noſtra debent aſtra lucem
Quâ geminus reniteſcit orbis.
En Laureati ſidera luminis,
Pulli tenelli, prima ſcientiæ
Et lecta pubes, cui recentes
Fronte virent, fluitantque lauri.
DeuotaMagnum ſolicitat Deum,
Supplexque votum fundit ad æthera,
Vt luce maternâ puſillum
Irradies foueaſque partum.
Sol ergò nobis eſto ſerenior,
Stilleſque cælo mella liquentibus
Deducta riuis, fer tuiſque
Laurigerum diadema natis.

V. D. CHRISTOPHORO TYLISZOWSKI.

DVx eruditi luminis TYLISZOVI,
Princepſque ſidus, quem beato munere
Multùm beauit aureum germen Iouis.
Felix nouenæ ſtella turbæ præuia,
Te laureatus eruditorum chorus,
Et illa nuper orta Muſis ſidera,
Phæboque grata, fontibuſque melleis,
Vbi ſacrata cum Parente Caſtalis
Liquore labra proluit clientium,
Fluore pectus, aureoque flumine
Perfundit ora, dulce concinens melos,
Primum ſalutant Principem; caue proin
Ne celſa cùm dantur Tibi, ſitu velis
Iacere nomen, interire gloriam,
Et fertili campo implicare carduos
Imò iubar, decuſque Stoæ candidum,
Illam tui caſtiſsimam vim pectoris,
Et fulgidum grandi Sophorum lumine
Lumen propaga, ſic Polo TYLISZOVI
Sidus perenne germinabis ſidera.

V. D. ALBERTO SROMIKOWIC.

ET tu Palladio SROMIKOVI polo
Ornatus, viridis lumine Laureæ
Succedis, radios ſpargere geſtiens
Per fontes ſapientiæ.

Applau-

Applaudo Cytharâ; curre ſerenior,
Aſſensêre meis numina vocibus.
Ter cælum intonuit, ſanctaque Fauſtitas
Miſcet lilia floribus.
Felix purpureo nomine diceris;
Nomen purpureus namq́ue pudor tibi
Donauit, roſeam & fronte modeſtiam
Largus conſtituit polus.
Hic magni color eſt proditor ingenî, &
Talem Phœbus amat mentis adoream,
Plaude ergò manibus, namq́ue Academicæ
Fies delicium lyræ.

V. D. FRANCISCO MŁYNARSKI.

FAllor? an cælo virides corollæ
Et recèns natæ dominantur Orbi
Gratiæ, vernas referuntq́ue ſtellæ in
Vertice lauros.
Candidum ſidus gelido Trioni
Candidos ſparſit radios, venuſto
Ore, Cyrrhæos latices lyræq́ue
Gaudia pangens.
Stella MŁYNARSCI niueos volantis
Pegaſi fontes, Aganippidumq́ue
Eſſedo luſtrat radiante ripam, &
Limina Phœbi.
Namq́ue ei nectar roſeis labellis
Muſa ſtillauit, lyricoq́ue plauſu

Imbuit plectrum, Cytharamque dextro
Pollice presſit.
Hîc Tuam cures micuiſſe lucem,
Solis auratas vbi nos quadrigas
Axe ſpectamus ſuper erudito
Dulcè volantes.

V. D. NICOLAO KOZVCHOWIC.

EN iam renaſcens priſcus ille gloriæ
Feruor, beata ſæcula
Rurſum feraci poſteris fundit ſinu,
Repullulantque laureæ.
En caſtra plena militum ſcientiæ,
Cohorſque Palladis ruit.
Iam crebra fulgent ſidera in mundi decus,
Micantque flammæ præpetes.
Et tu coruſcas aureum KOZVCHOVI
Sidus Trione ſplendido.
Nouella tanquam lilia, & fragrans roſa,
Velutque Myrthus textilis.
Te flos venuſtus oris, & modeſtiæ
Amica Pallas, Delphicâ
Lauro coronant, atque dotes ingenî.
Amorque flagrans artium.
Hinc auguror Vates, futurum te breui,
Sidus Mineruæ nobile.

V. D. GREGORIO ARCZEWIC.

RIdent ſidera, floribuſque pictum
Illuxit decus; aſſequar Pòéta.
Quidnam purpurei velint rubores,
Portendantque polo igneæ cohortes.
Per lenes igitur ferar receſſus,
Et cælos penetrans ſereniores,
Et flammas populis fauentiores,
Arces, oppida, rura, ciuitates,
Luſtrabo celeri eſſedo Notorum.
Sed quo me rapis ô furor beate?
Fallor; nam roſeo nitent colore
Dulces deliciæ Camœnularum,
Scintillantque polo aureæ coronæ,
Quas nuper manibus Thalia preſſit.
Noſco lumina Palladis Polonæ;
En lux ARCZEVII micat ſerena,
Frontis, pectoris, oris eruditi.
E cuius genio politiori
Prorumpunt fluuij, pluuntque mella, &
Nimbo diuite roſcidi liquores.
Quem vos Pegaſides roſis beate.
Lauro tempora lilijſque circùm

Fundentes, magis vt polo coruſcet
Qui nunc laurigero coruſcat orbe.

V. D. ALBERTO ZGŁOBICKI.

RECens Lycæo ſedibuſq́ue Muſarum
Procedis aſtrum ZGLOBICI, receſſuſq́ue
Suadæ profundos, gemmeaſq́ue templorum
Et fulgurantûm porticus platearum
Præcinctus hinc & hinc Apollinis lauro.
Splendore luſtras aureo, triumphanti
Tu dedicate chordulis Camænarum,
Clarumq́ue ſidus litterariæ palmæ,
Et Tulliani pulchra nectaris fama,
Sublime Maieſtatis arduæ limen
Celsamq; ſedem Palladis, refulgenti
Dum ſcandis ortu, gloriæq; vis primam
Viam quadrigis ingredi coronatis;
Io triumphe, Pegaſi intonant ciues,
Cohorsq; ſacra, & regna Apollinis plaudunt,
Zgłobiciani pectoris ſerenatæ
Luci beatis atque dotibus Conſi.

V. D.

V. D. ALBERTO KANSKI.

TEr Pæan, ter Io, ter Euge rursùm
Et rursùm ter Io ter Euge Pæan
Castis sedibus intonant Camœnæ,
Et plectrum, cytharam, lyramq́; pulsant.
Exultant hilares canore valles,
Acceptos numeros nemus remittit,
Cantu nectareo loquuntur agri,
Dum sidus nitidum coruscat orbi
Doctorum, niueiq́; KANSCIANI
Fontes eloquij scaturiente
Prorumpunt fluuio, medulla Suadæ
Cuius mellifluo sedet palato.
Ter Pæan igitur canemus & nos,
Et læto calamos sonare cantu
Informabimus, vt tuo lepori
Narcissum, violas, rosas, acanthum,
Et ver purpureum, fauosq́; mellis
Mellitissima verba Gratiarum
Adiungant roseo fluore linguæ.

V. D. VALENTINO SĄDKOWSKI.

SIdera cùm niteant sublimi Heliconis Olympo,
Tu quoq́; SĄDKOVI lumina sparge tua.

Adſpice quà geminas iaculatur Cynthius vmbras,
Cunctaq́; quâ ſurgunt ſidera parte videt.
Purpuream ſpeculare facem, Sophiæq́; Senatum,
Et quaſcunq́; ſacer fert Academus opes
Æthereas animas teſtor, cytharamq́; canentem
Te ſtudio Clarium conciliaſſe Deum!
Nam quoties doctos video fluxiſſe liquores
Ore tuo, toties dulcia mella puto.
Grande tuæ pretium manſuraq́; gloria Muſæ,
Exſuperat cytharæ fila remiſſa meæ.

V. D. NICOLAO IEZIERKIEWICZ.

EMenſa cæli Muſa Academici
Flammas nitentes, reſtat eburneo
Canenda plectro ſtella nuper
Cui roſei micuêre vultus.
Fauete chordæ; vim patitur polus;
Deducta Olympo ſidera terreis
Fulgore ſedibus coruſcant,
Luce nouâ, nituitq́; tellus.
Portenta mundi; fert Helicon faces
Cælo Sacratas, diſſiluit graue
Pondus fatigati iàm Atlantis,
Et Clariùs regit aſtra vates.

Præ

Præstans Olympum vince IEZIERKIEVI
Luce eruditâ; Nam Tibi splendidos
Solis recessus siderumque
Vraniæ reserauit ardor.
Fecêre celsi Te sibi cardines
Domusq; lucis delicium; proin'
Agmen coronatæ cateruæ
Claude polo, faueasq; Musis.

V.D. SIMONI HYACINTHO KOSTRZEWOWSKI. Artium & Philosophiæ Canditato.

CHRISTOPHORVS TYLISZOWSKI, Eiusdem Laureæ Candidatus applaudit.

VEre nouo viridi decorata hæc sidera lauro
Non miror; fuerat laurus & ipsa domi.
Crescentis lauri locus est mons, mons Hyacinthi
Dic aliud quidnam nomina vestra ferunt?
Crede mihi I: tantum demas, S transfer, & es Mons: *hominis Simon*
Quem primò radijs nutrit Apollo suis
Laurifer I: cupio Mons montibus altiùs altis
Et Tibi non noceant fulmina dira mali. *bene alludit Simoni.*



Sub felicibus auſpiciis

Perilluſtris Admodum Rn̄di & Magnif. Dn̄i

IACOBI VITELLII,

Canonici Eccleſiæ Cathed: Crac.

S. Th Doct. eiuſq; Facultatis Decani,

RECTORIS ACADEMIÆ

Vigilantiſſimi,

&

PROCANCELLARII

Dignisſimi.



CRACOVIÆ

In Officina Typografica Francisci Cæsarij, S. R. M. Typographi.